# ACTA
# CAPITVLI PROVIN-
## CIALIS PROVINCIÆ HISPANIÆ
## ORDINIS PRÆDICATORVM, CELEBRATI

in Conventu Sancti Ildephonſi Regalis Tau-
renſis Dominica *Deus, Qui errantibus.*
Die Nona Menſis Maij
1683.

## SVB R.A.P.N.

*Fr. ANTONIO SAN IVRJO PRÆSENTATO,*
*Priore Sancti Thomæ regalis Abulenſis, Vicario*
*Generali, & Prouinciali electo eiuſ-*
*dem Prouinciæ.*

Año  1683.

Valliſ-Oleti: Ex Typographia Regia Ioſeph. à
Rueda, in via de Samano.

# ACTA
## CAPITVLI PROVIN-
CIALIS PROVINCIÆ HISPANIÆ
ORDINIS PRÆDICATORVM, CELEBRATI
in Conventu Sancti Ildephonſi Regalis Tau-
renſis Dominica Deus, Qui errantibus.
Die Nona Menſis Maij
1683.

## SVB R.A.P.N.

*Fr. ANTONIO SAN IVRJO PRAESENTATO,*
*Priore Sancti Thomæ regalis Abulenſis, Vicario*
*Generali, & Provinciali electo eiuſ-*
*dem Provinciæ.*



Año 1683.

Vallis-Oleti: Ex Typographia Regia Ioſeph. à
Rueda, in via de Samano.

HÆC ſunt Acta Capituli Prouincialis Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum, celebrati in Conuentu Sancti Ildephonſi Regalis Taurenſis, Dominica *Deus, Qui errantibus*. Die nona menſis Maij, Anni Domini milleſimi, ſexcenteſimi, Octuageſimi tertij, ſub R. A. P. N. Fr. Antonio San Iurjo, Preſentato, Vicario Generali, & Prouinciali electo eiuſdem Prouinciæ. Diffinientibus, RR. AA. PP. NN. Fr. Ioanne de Bolibar Magiſtro, Primatiæ Cathedræ in Academia Salmantina Moderatore. Fr. Ioanne Paniagua. Magiſtro. Fr. Ioanne de San Vicente, Præſentato, Conuentus Sancti Dominici Legionenſis Priore. Fr. Ioſepho Alvarez Præſentato, Priore Conuentus Sancti Ildephonſi Regalis Taurenſis.

# DENVNTIATIONES.

DEnuntiamus in hoc noſtro Capitulo lectum fuiſſe Edictum Sanctæ Inquiſitionis Editum die decima nona Octobris, Anni Domini, milleſimi, ſexcenteſimi trigeſimi tertij. Et admonemus iterum, quod Priores, & Præſidentes Conuentuum non tenentur illud notificare fratribus determinate Feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis Beatiſsimæ Virginis, ſed ſufficere illud legere, quoties in Capitulo, vel Refectorio, Capitulorum Acta, & Ordinationes leguntur. Iuxta priuilegium nobis, à Supremo Sanctæ Inquiſitionis Tribunali ſuper hac re conceſſum.

Item denuntiamus, Breue ad nos perueniſſe, Sanctiſsimi Domini Noſtri Innocentij XI. ſub data Romæ, die vigeſima menſis Nouembris, Anni Dñi 1677. in quo omnes reuocantur diſpenſationes, ſiue licentiæ conceſſæ, à ſequela Chori, à Reuerendiſsimis Patribus Noſtris Generalibus; quod præcipimus inviolabiliter obſeruari.

Item denuntiamus, Miſſum nobis fuiſſe, à RR. P. N. Generali, Reſcriptum Sanctiſsimi Domini Noſtri Innocentij XI. ſub die 26. menſis Nouembris, Anni Dñi 1678. contra euntes



ad

ad Curiam Romanam, abſque ſui Generalis, aut ſaltem Eminentiſsimi Cardinalis Ordinis ſui Protectoris licentia; contra quos inquit, Reuerendiſsimus P. N. Generalis, ſequentia: *Nos omni reſpectu perſonarum ſepoſito inexorabiles fore, quoad inflictionem pœnarum, quaſcumque iudicabimus commeruiſſe illos, qui abſque legitima in ſcriptis permiſsione, ex natiua ſua Prouincia deinceps abſerint Romam petituri; vel ad hanc Vrbem eius ve portas, ſine præuia licentia, qualitercumque acceſſerint.*

Item notum omnibus facimus grauiſsimas pœnas fulminatas eſſe, tam à Summis Pontificibus, quam à Capitulis plurimis Generalibus, contra recurrentes pro obtinendis fauoribus ad perſonas quaſcumque extra Ordinem noſtrum conſtitutas, tam Eccleſiaſticas, quam ſęculares, quarum præcipuè ſunt excommunicatio latæ ſentētiæ, à qua nequit abſoluere etiam is, qui aliàs habet generalem abſoluendi licentiam, à cenſuris, & caſibus reſeruatis. Omnium Ordinis ſuffragiorum, tam in vita, quam in morte priuatio. A functionibus cunctis Sacerdotalibus ſuſpenſio. Priuatio gratiarum omnium, & graduum; & vocis actiuæ, & paſsiuæ. Nomen infame deſtructoris Ordinis, perpetua etiam inhabilitas, ad omnes gradus Ordinis, & dignitates. Grauioris culpæ, & carceris pœna, & maledictio Omnipotentis Dei, Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & S. P. N. Dominici, contra induratos. Quapropter rogamus, R. A. P. N. Prouincialem, vt ſeueriſsime, & inflexibiliter etiam, in obſeruantia huius Conſtitutionis Apoſtolicæ, valde vigilanter inſiſtat. Ita vt ad pœnas infligendas huiuſmodi; neceſſaria non ſit exacta probatio.

Denuntiamus item Generale Capitulum celebratum Romæ, Anno Domini 1629. declaratione vltima declaraſſe, Acta Prouincialis Capituli ab eorum promulgatione, vſque ad promulgationem Actorum, ſequentis Capituli per durare: *Declaramus* (inquit) *quod præcepta Actorum Capituli Prouincialis, incipiant ab eorum promulgatione, & durent vſque ad promulgationem Actorum, ſequentis Capituli Prouincialis, in quolibet Conuentu faciendam.*

Item denuntiamus in hoc noſtro Capitulo, electum fuiſſe in Diffinitorem Capituli Generalis proximi futuri: R. P. M. Fr. Hyacinthum Rubio, quondam Prouincialem huius noſtræ Prouinciæ. Et in hoc noſtro Diffinitorio electum fuiſſet in eius Socium, R. P. F. Chriſtophorū Paternina Magiſtrum, Priorem

rem Conuenctus Sancti Andreæ Regalis de Medina de el Campo.

Memores Capituli Prouincialis huius noſtræ Prouinciæ, Anno Domini 1647. celebrati, inquo numerus Præſentatorum, Prædicationis titulo, ex numero quaternario, auctus eſt vſque ad ſenarium, propoſitis etiam perſonis, quæ ad complementum talis numeri petebantur; quod à Capitulo Valentino, eodem anno celebrato, & quantum ad augmentum numeri, & quantum etiam ad perſonas deſignatas fuit approbatum. Et memores etiam Congregationis huius Noſtræ Prouinciæ, Anno Domini 1673. celebratæ, in qua, eiſdem rationibus militantibus, ſupplicatione, & petitione à prædicta Congregatione interpoſita, numero triginta duorum Præſentatorum, quatuor aliæ Præſentaturæ, lectionis titulo, ſupperaditæ ſunt, à R.P.N. Generali. Eorum veſtigijs in hærentes, eiſdemque rationibus, matura diſcuſione penſatis; nimirum, nimia præmiorum paucitas, Prædicationis titulo, in Præſentatis; & nimia etiam bene meritorum copia, qui merito præmio fraudantur; qua ratione quam plurimi in Prædicationis officio, & miniſterio, vel omnino deficiunt, vel egre, & ſegniter, ſe applicant tanto muneri: cum detrimento Religionis, & Prædicationis officio: Re maturius inſpecta, & attentius deliberata; conſilio habito, cum R. A. P. M. huius Prouinciæ noſtræ, congruum, & æquum duximus, & rationi conſonum iudicauimus; quod Præſentatorum, titulo Prædicationis, ſenario numero, alia duplex Præſentatura ſuperaddatur.

Quam obrem, obſecramus enixe R. P. N. Generalem, Magiſtrum; vt præfato, graduatorum, titulo Prædicationis, ſenario numero, duplicem aliam Præſentaturam ſuperaddere, & nobis concedere, dignetur. De cuius certi erga nos amore, & Paterna confiſsi benignitate; ex nunc protunc Acceptamus Præſentaturam, Prædicationis titulo, R. P. Fr. Blaſij Duran, Prioris noſtri Conuentus Dominæ Noſtræ de la Peña de Francia. Et exponimus ad legendas ſententias, titulo Prædicationis, pro forma, & gradu Magiſterij excluſiue; R.P.Fr. Damianum Perez, Prædicatorum generalem,

 ACA

ACceptamus Magiſterium, R. A. P. N. Fr. Petri Matilla, veſpertinæ Cathedræ, in Vniuerſitate Salmantina, Moderatoris. Et Magiſterium. R. A. P. F. Franciſci Carraſco, Primariæ Cathedræ in Vniuerſitate Complutenſi, Moderatoris; & noſtri Collegij Sancti Thomæ, in eadem Vniuerſitate Regentis.

Item acceptamus Præſentaturam, R. P. Fr. Ioannis Nuñez, R. A. P. N. Vicarij Generalis Socij, & Præſentaturam, R. P. Fr. Ioſephi de Villaſeñor, Regni Gallecię Vicarij, & noſtri Cõuentus Sanctæ Dominici de la Coruña, Prioris.

EXPOSITIONES.

EXponimus ad legendas ſententias pro forma, & gradu Magiſterij incluſiue, R. A. P. Fr. Hyacinthum Rubio, quondam Prouincialem, & Inquiſitionis Sancti Officij Cenſorem.

Item exponimus ad legendas ſentencias pro forma, & gradu Magiſterij, excluſiue, R. P. Fr. Andræam Gala, noſtri Cõuentus, Sancti Thomæ Regalis Abulenſis, Regentem. R. P. Fr. Hieronymum Gonçalez. Lectorem Theologiæ noſtri Conventus Sancti Ildephonſi, Regalis Taurenſis, R. P. Fr. Ioannem de Araya, Lectorem Theologiæ Noſtri Conuentus Sancti Stephani Salmantini. R. P. Fr. Ioannem Sanchez Caſtrejo, Lectorem Theologiæ, Noſtri Conuẽtus, Sancti Petri Martyris Toletani, R. P. Fr. Ildephonſum Mudarra, noſtri Conuentus, & Vniuerſitatis, Sancti Thomæ, Regalis Abulenſis Regentem.

R. P. Fr. Franciſcum Blanco, Sancti Inquiſitionis Officij Cenſorem, Primariæ Cathedræ in Vniuerſitate Vallis-Olætana. Moderatorem. Et etiam exponimus, Prædicationis titulo: R. P. Fr. Bernardinum del Cerro, noſtri Conventus Sancti Thomæ Matritenſis, Prædicatorem.

CREATIONES.

CReamus in Prædicatores Generales, R. P. Fr. Petrum de Malaga, noſtri Conuentus Sancti Ildephonſi Regalis Taurenſis

venſis Cócionatorẽm, pro Conuentu de Zamorà. R. P. Fr. Marcinum de las Heras, Noſtri Conuentus, Sancti Thomæ regalis Abulenſis Concionatorem, pro Conuentu de Huete. R. P. Fr. Martinum de Leon, pro Conuentu de Truxillo. R. P. Fr. Auguſtinum de Olmedilla, Noſtri Conuentus Sancti Thomæ Matritenſis Concionatorem, pro Conuentu de San Sebaſtian. R. P. Fr. Ioannem de Olabari, pro Conuentu de Medina del Campo. & R. P. Fr. Ildephonſum de Ovalle, Noſtri Conuentus Santi Spiritus de Aranda Priorem, pro Conuentu de Cuenca.

## *ABSOLVTIONES.*

ABſoluimus omnes Suppriores, & Vicarios Conuentuum non habentium Priores, præter Suppriores de Madridejos, Rojas, Valverde, la Vera, Tordeſillas, Villalpando, quia nuper inſtituti ſunt. Et Suppriores de Occaña, Tudela, San Helizes, Santillana, propter inſtantes electiones, vſque ad Confirmationem, & præſentiam Priorum.

## *PRÆCEPTA AD OMNES, ET SINGVLAS Perſona.*

MAndamus in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali; omnibus, & ſingulis Fratribus huius noſtræ Prouinciæ ſequentia.

*Primum*, ne duo, vel plures Fratres ſimul, in aliqua cella Fratrum huius noſtræ Prouinciæ coexiſtant. Excipimus cellas Priorum, & Magiſtrorum Nouitiorum pro ſibi ſubditis. Excipimus etiam ab hoc præcepto Magiſtros huius noſtræ Prouinciæ, & eorum cellas. Et denuntiamus, quod cellæ Fratrum poſt notificationem aſsignationum quamdiu in Conuentu commorantur eodem prorſus præcepto tenentur, quo cellæ aliorum Conuentualium. *Denuò ingrediendo cellas.*

Item ſimul declaramus, quod ſi ille, cuius cellam aliqui Fratres ingredi poſſunt, ab ea abſens fuerit, illam non gaudere pro tunc tali priuilegio, ſiue licentia. Poterunt tamen Patres Priores, ſeu Præſidentes (non tamen Suppriores, nec Vicarij) diſpenſare cum ſibi Subditis, dummodo diſpenſatio non ſit generalis, aut frequens; quæ poſt vltimum ſignum poſt Completo-

torium nullatenus fiat, ſine ſufficienti cauſa, & pro qualibet vice. Ab hoc præcepto non excipiuntur cellæ Conuentuales, quando in eis contingat aliquem infirmari, niſi à Conuentus Priore, vel Præſidente eſſe cellam infirmariæ declaretur.

*De non adeundo Monaſteria Monialium.*

*Secundum.* Nequis adeat Monaſteria Monialium, nec Beatarũ, nec mulierum aliarum in vnum congregatarum ſub obedientia viuentium, nec ad earum Eccleſias ad colloquendum, niſi de licentia Prioris pro qualibet vice, quæ licentia in aliam diem tranſlata non valeat. Nec dari poſsit à Suppriori bus, aut Vicarijs, Prioribus in oppido exiſtentibus.

*Ne Fratres interſint Comædijs.*

*Tertium.* Nequis repreſentationibus, aut Comædijs, quæ à publicis Hiſtrionibus fiunt interſit. Niſi in Capitulis Eccleſiarum, in Domibus Epiſcoporum, ſeu Religioſorum, aut in publicis Sanctorum ſolemnitatibus. Et quod Prælati, aut Convẽtuum Præſidẽtes, Comædias in Domibus noſtris fieri non permittant, etiam ſponte oblatas, aut etiam ſi non ſint à Hiſtrionibus publicis. Nec Fratres eas repreſentent, aut vllo modo, vtantur veſtibus ſæcularibus. Quod præceptum etiam Moniales, & Beatas noſtras comprehendit.

*De non omittendis lectionib⁹.*

*Quartum.* Quod Fratres ad quos quomodolibet ſtudium attinet, nullomodo permittant in diebus lectiuis omitti Conferentias, aut Concluſionem, etiam prætextu exponendi ad audiendas Confeſsiones, nec hora conſueta varietur, nec in prædictis diebus dentur Recreationes. Vigilia autem Actus maioris omittantur Conferentiæ, non tamen dentur recreationes. Die verò ſequenti dari poſſunt. Nec concedatur licentia exeundi à Conventu, recreationis cauſa, titulo Actus maioris, niſi in diebus aſſuetis. In octauis autem Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in octauo die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & in recreationibus octo dierum ante Aduentum, & Quadrageſimam, Conferentiæ, & Concluſiones omittantur; aut ſi fortè hora Concluſionis, aut lectionis, ſpecialis occurrat pro toto Conuentu occupatio. Nomine autem dierum lectiuorum intelligimus eos, in quibus, iuxta diſponendum inferius, non tenentur Patres Lectores Matutinis intereſſe, & qui iuxta nouam reformationem, aut ex voto, aut ex præcepto, non ſeruantur à Populo. Feſta autem Imaginis S. P. N. Dominici in Soriano, Traſlationis eiuſdem, & Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, & Feſtum S. P. N. Franciſci, Sanctæ Catherinæ Martyris, &

Sanctæ

Sanctæ Thereſiæ Virginis, dies lectiui non ſint. Quod ſi nulla die in hebdomada à Conferentijs vacauerint Fratres, quouis titulo, etiam Actus maioris, Feria quinta eiuſdem hebdomadæ in Conferentijs, & Concluſione diſpenſamus.

*Circa priuatũ Depoſitum.*

Denique ſub eodem præcepto mandamus, nec non ſub pœna excommunicationis maioris, latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda, hac vna pro trina canonica monitione præmiſſa, nequis Fratrum, priuatum habeat depoſitum, nec quiſquam pecunias, aut mobilia præcioſa vndecumque habita, vel habenda deponat foris apud ſeculares, etiam parentes, conſanguineos, aut quoſcumque extraneos, nec domi apud particularem Religioſum, ſed fideliter omnia aſſeruanda deponant apud Depoſitarium ſpecialem Religioſorum, quem noſtra conſtitutio Sindicum nominat. Religioſæ verò SanctiMoniales, de licentia Vicarij ſui habere poterunt depoſitariam particularem.

## *ORDINATIONES.*

*Ne Lectores exe't à Cõuentu diebus in quibꝰ ſunt Conferentiæ.*

ORdinamus, & mandamus Patribus Prioribus, quod in diebus, quibus ſunt conferentiæ licentiam non concedant Patribus Lectoribus exeundi a Conuentibus, niſi ex graui, & vrgenti cauſa. Et rogamus R.A.P.N. Prouincialem, vt Priores in hac parte negligentes abſoluat.

*De concluſionib. quotidianis.*

Item ordinamus, quod Concluſiones quotidianæ durent ad minus per tres quadrantes horæ; quibus omnibus aſsiſtant omnes Fratres Clerici, cuiuſcumque ſint antiquitatis, ſicut, ad omnes Actus, ſiue ſint Artium, ſiue Theologiæ.

*De ieiunijs, & abſtinẽtia à carnibus.*

Item ordinamus, quod Feria ſecunda, & quarta non poſſit in eſſu carnium, niſi cum in firmis diſpenſari. Et declaramus, quod diſpenſare quotidie in ieiunijs Conſtitutionum, non eſt diſpenſatio, ſed diſipatio.

*Ne Patres Priores detineãt Fratres aſſignatos.*

Item ordinamus, quod aſsignationes, quomodolibet receptæ notificentur à Prioribus, ſeu Præſidentibus Conuentuũ: ſi verò ob vrgentem cauſam, viſum eis fuerit, illas pro tunc non notificare: hoc ipſum quã totius R.A.P.N. Prouinciali renũtiare teneãtur. Et quod nullus Prior aſsignatos detineat, etiã prætextu petendi aliã aſsignationem, ſiue pro ſuo, ſiue pro alio Cõuentu. Et ſi contigerit, quod aliquis Prior, aliquem detinuerit ſic aſsignatum, rogamus R.A.P.N. Prouincialem, quod ſeueriſsi

ma Priorẽm puniat rẽpræhenſionẽ, & pẽtitioni non aſſentiat, ſed aſsignationem,executioni omnino mandari faciat. Et decla ramus,quod aſsignationes,& inſtitutiones,quæ intra duos men ſes notificatæ non fuerin,notificari vltra non poſsint.

*Prohibe-tur ingreſus Curiæ Regiæ.* Item ordinamus, nequis ingrediatur Regiam Curiam, neque eius ſub vrbana,etiam cauſa Sacros Ordines ſuſcipiendi, abſque licentia R. A. P. N. Prouincialis ſub pœna quindecim dierum in pane, & aqua, & priuatione vocis actiuæ, & paſsiuæ per duos annos. Prior autem Hoſpicij noſtri Matritenſis, & Procurator Generalis eiuſdem Curiæ, certiorem reddere teneantur, R. A. P. N. Prouincialem de tranſgreſſoribus, noſtræ huius ordinationis. Et declaramus omnes hoſpites,cuiuſcũque conditionis ſint, ad Priorem,ſeu Præſidẽtẽ dicti Hoſpitij, etiã quoad punitionem, & correctionem pertinere. Cui in iungimus ſtricte,vt nulli licentiam concedat extra Conuentum pernoctandi:Quod, & cæteris Patribus Prioribus eiuſdem Curiæ, pro ſibi ſubditis præcipimus. Quæ licentia,ſoli R. A. P. N. Prouinciali reſeruatur. Et mandamus, dicti noſtri Hoſpitij Patri Priori, & Procuratori Generali, vt cura diligenti inquirant, à Fratribus venientibus ex alienis Prouincijs, de negotijs quorum cauſa, ad prædictam Curiam aduenerint; & his expletis, & conſumatis ad Prouincias ſuas, quam totius redire compellant.

*De licentijs petendis.* Item ordinamus, & præcipimus, ne quis Fratrum; immediate petat per ſe ipſum, à R. A. P. N. Prouinciali, licentiam à ſuo Conuentu, extra dietam illius,pro vacationibus, ſiue negotijs exeundi: ſed communicata neceſsitate, Priori Conuentus, ipſe Prior licentiam petat pro Frate illo. Et obſecramus R. A. P. N. Prouincialem; vt licentias non concedat, quæ ſic à Patribus Prioribus non petuntur. Onerantes conſcientias Patrum Priorum, vt niſi pro Fratribus morigeratis, & de quibus prudenter intelligant, quod præbebunt bonum exempli odorem,ac præcipuè, ſi ſint multum iubenes; conſimiles licentias non petant. Et quando licentiam concedunt, à Conuentu ſuo, intra dietam aliquando exeundi, in ſcriptis ſit, & non aliter; quam tranſgredientes ſeuerè puniat.

*De ſtipendijs recipiẽdis pro Miſsis.* Item ordinamus,quod nullus accipiat ſimul, vltra quinquaginta ſtipendia Miſſarum, niſi liber ſit alias, ab onere applicandi Miſſas,pro ſui Conuentus obligationibus: in quo caſu; re-

cipe:

cipere quidem poterit, Miſſarum ſtipendia octuaginta. Quod ſi quis (quo abſit) acceperit plura, iuxta paupertatis votum; ex nunc pro tunc applicamus Communitati. Pro Conuentibus autem, exceſsivus Miſſarum numerus, non recipiatur; de quo inquiret diligentiſsime, in viſitationibus ſuis R. A. P. N. Prouincialis, & iuxta quantitatem exceſſus, ſeueriſsime puniet. Teneantur etiam omnes Conuentuum Depoſitarij, R. A. P. N. Prouincialem certiorem reddere, ſi forte numerus exceſsiuus, proportionabiliter ad Conuentus, à Patribus Prioribus recipiatur.

Item ordinamus Prioriſis omnibus, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, & Sororibus ſimul, vt nihil cantent, aut cantari permittant, ſiue in Choro ſint, ſiue in alio loco, noſtro vernaculo ſermone, ſed latino tantum, vbi poſsint à ſæcularibus audiri. *Ne Sorores cantēt vernaculo ſermone.*

Item, notum facimus decretum SS. D. N. Clementis VIII. circa regimen Sancti Monialium, vbi ſic habetur. *Nulli ex Monialibus, perſonas Eccleſiaſticas, ſæculares, vel regulares, aut laicas, etiam conſanguineas cuiuſcumque ſexus, ad fores Monaſterij alloqui, vel in eis apertis ſiſtere, quacumque de cauſa liceat; nec fores huiuſmodi aperiantur, niſi ad introducendas, vel emittendas perſonas, & res neceſſarias* Et declaramus, prædictum decretum comprehendere quoſcumque cōſanguineos, etiam Patres, & Matres Monialium, & Beatarum; & quoſcumque Religioſos, etiam ſi ſint eiuſdem Monaſterij Prælati, quod inuiolabiliter obſeruari præcipimus, ſub pœna ſuſpenſionis officij Prioriſſę, & abſolutionis Oſtiariæ, quæ oppoſitum permiſſerint. *Ne Moniales loquātur ad fores Monaſterij.*

Item ordinamus, & mandamus omnibus Monialium, ſiue etiam Beatarum Vicarijs, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs; quod nullomodo permittāt, quod intra Sancti Monialium Chorum, ſiue Beatarum, Sacratiſsimum Chriſti Domini Corpus, vllomodo aſſeruetur. Niſi forſitam alicubi taliter collocatum ſit Tabernaculum, quod Choro ſimul, & Eccleſiæ exteriori reſpondeat. In quo euentu eiſdem Vicarijs, ſub eadem pœna præcipimus, quod nullomodo ingrediantur Fratres intra ſepta Monaſterij, cauſa renouandi, vt pareſt; Diuiniſsimum Sacramentum; ſed cauſa ſolum, illud adminiſtrandi infirmis. *De nō aſſeruando Sacratiſsimū Chriſti Domini Corpus, intra Chorū Sācti Monialium.*

Item mandamus, & ordinamus, Monialium, & Beatarum Vicarijs, Prioriſis etiam, & Supprioriſis, & quibuſvis alijs, ad quos, *Circa receptionem puellarū*

*in Monaſterijs.* quos, vel ad quãs, quomodolibet ſpectauerit, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, vt nullam admittant puellam, ſiue educationis cauſa, ſiue ad habitum Religionis, ſine licentia acepta in ſcriptis, à R. A. P. N. Prouinciali, quem teneãtur facere certum depuellæ ętate ad hibitum in ordine recipiendæ, de que eius, ante emiſſam profeſsionem, anni decimi ſexti complemento, conſueto ſint Parrochi teſtimonio certi.

*A quibus debent recipi Moniales ad habitum.* Item ordinamus, quod in Priorum abſentia, quibus Sancti Monialium cura, ſiue etiam Beatarum, à R. A. P. N. Prouinciali fuerit commiſſa; non recipiantur Moniales ad habitum, vel profeſsionem, niſi à Confeſſario talium Monaſteriorum; (ſi Monaſteria illum habuerint.) Quod in multis Capitulis Generalibus ſtatutum eſt, & ſancitum. In exequijs autem Sancti Monialium, & cæteris feſtiuitatibus, in abſentia Patris Prioris, officium ad Suppriorem pertinet

*QuodSorores nouiter profeſſæ ſint in domoNouitiarum* Item ordinamus, quod Sancti Moniales poſt profeſsionem, in domo Nouitiarum ſint, & quod ſine licentia R. A. P. N. Prouincialis, inde non extrahantur.

*De literis teſtimonialibus, abitinerãtib⁹ exegẽdis.* Item mandamus, & ordinamus, omnibus Patribus Prioribus, ſiue Conuentuum Præſidentibus, ſub pœna priuationis à ſuis officijs; quod à Fratribus viatoribus, & itinerantibus, cuiuſcumque ſint conditionis, ſiue ex noſtra, ſiue ex alia Prouincia, litteras petant, & exigant teſtimoniales, & cura diligenti inſpiciant; niſi perſona ita nota, & cognita ſit, vt nullus dubitationi, aut ſuſpitioni detur locus, prout alias, in multis Generalibus Capitulis, mandatum fuit, & ordinatum.

*Patres Priores indumenta neceſſaria conferant Fratribus.* Item ordinamus, & omnibus Patribus Prioribus ſtricte præcipimus, quod omnino provideant Fratribus de caligis, calceis, & interiori tunica in quolibet anno; & poſt duos annos completos, conferant illis ſcapularia, & tunicam etiam exteriorem; quæ in propria ſpecie, & veſtium forma, & non aliter dentur, & omnino ante primam Ianuarij diem cuiuſcumque anni. Quod ſi prædicta die non fuerint collata à Patribus Prioribus ſupradicta indumenta, Depoſitarij Conventus, ſub pœna abſolutionis ab officio ſuo, certiorem facere teneantur R. A. P. N. Prouincialem; quem obſecramus, vt in viſitationibus ſuis diligenter inquirat de adimplectione exacta noſtræ huius Ordinationis; & vbi invenerit Patrem Priorem præſentem, ſiue Præteritum, illam non ſuo opportuno tempore adimpleuiſſe, vlterius

rius eum non proponat ad officium Prioratus; & infligat infalibiliter, qui hoc mandatum non obſeruauerunt, hic impoſitam pœnam Depoſitarijs.

Item ordinamus, quod qui in aliquo Conventu fuerunt Priores, non gaudeant ratione Prioratus quem iam geſſerunt, priuilegijs aliquibus, ſiue gratijs, quæ non ſint ipſis debitæ ratione gradus (ſi ſint Graduati) vel quæ non ſint à noſtris Conſtitutionibus, ſiue ex vſu noſtræ Prouinciæ; vt quod Hebdomadam non faciant, Patres à conſilijs ſint in eiſdem Conuentibus. *Quod PP. Priores præteriti aliquo priuilegio nō gaudeant*

Circa Depoſitum bonorum defunctuorum Fratrum, huius Prouinciæ cōſuetudo, diu ſtabilita ſeruetur. Et quoniam Prouincia noſtra nimis grauata exiſtit cenſuum redditibus, alijſque expenſis neceſſarijs pro ſoluendis ſubſidijs, nec pro tā to ſufficiant grauamine, iam conſueta Conuentuum ſubſidia; præcipimus, & ordinamus, quod ex bonis à defunctis relictis (tertia parte integre relicta pro Fratris anima defuncti) ſexta pars, duarum partium aliarum, pro ſumptibus reſeruetur communibus huius Prouinciæ, quæ Patribus mittatur Procuratoribus Generalibus, Vallis-Oletano, vel Matritenſi. Præcipientes in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali, tam Prioribus Conuentuum, quam Depoſitarijs eorum, ad quos pertinet inuentarium facere, de bonis Fratrum defunctorum, vt certiorem reddant R. A. P. N. Prouincialem: de valore ſextæ partis prædictæ. *De bonis defunctorum Fratrum.*

Item ordinamus, quod Parrochi, Confeſſores, Procuratores, Sanctique Monialium, & Beatarum Vicarij; tres Miſſas celebrent inqualibet ſeptimana pro Monaſteriorum obligationibus, quas ſi non habent Monaſteria; celebrare teneantur pro intentione R. A. P. N. Prouincialis. Si vero dicta Monaſteria tot habuerint obligationes, vnam Miſſam adminus inqualibet ſeptimana teneantur celebrare pro intentione R. A. P. N. Prouincialis, ex his quæ ad ipſos perſonaliter pertinent. Quam Miſſam ex nunc pro tunc in foro conſcientiæ applicamus in ſolidum. Vt autem prædictarum Miſſarum ratiocinia fiant expedite, omniſque vitetur confuſsio, notum Vicarijs ſit, Confeſſoribus, Parrochis, & Monialium, & Beatarum Procuratoribus, quod à die in quo præſentantur ſuis Monaſterijs, omnes prædictę Miſſæ in ratiocinijs adnotantur: vnde tantum teneantur omnes (ſi fuerint forte aliqua infirmitate impediti, vel in ſepti- *Circa Miſſas Offici. Monialium.*

manis aliquibus celebrare non potuerint ) ſcribere R. A. P. N. Prouinciali, vel eius Socio, quem Miſſarum numerum ratione omiſſerint ægritudinis, quatenus Sacrificia omiſſa, non computentur in ratiocinijs.

*Officiales Sancti Monialiũ, et rum non ingrediantur Monaſteria.*

Item mandamus in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali, quod Vicarij, Confeſſores, & Procuratores, tam Monialium, quam Beatarum, earum Monaſteria non ingrediantur, niſi ratione, & cauſa adminiſtrandi Sacramenta; alia verò cauſa exiſtente, licentiam petant à R. A. P. N. Prouinciali. Et ordinamus, quod ſi Vicarius ibi non ſit, duo ingrediantur Fratres ſimul; & ſi vnus tantum adſit, aſſocietur Prioriſſæ, vel Supprioriſſæ, ſub pœna abſolutionis ab officijs ſuis. Et declaramus, quod Monialium Vicarij, ſic aſſociari debent quando Monaſteria ingrediuntur, iuxta diſpoſitum in earum ordinationibus, nec prætendant ſuper hac re, aliqua exceptione gaudere. Et ſtrictè præcipimus Prioriſis omnibus, vt de clauſura ſeruanda, ſumma cura, & ſtudio inuigilent, ita vt nullo prætextu, ingreſſum alicuius perſonæ admittant: ſimulque iniungimus, vt quaslibet litteras Apoſtolicas, obtentas iam, ſiue de inceps obtinendas à quacumque perſona, cuiuſvis qualitatis, aut ſexus, pro ingreſſu Monaſteriorum R. A. P. N. Prouinciali remittant, declarantes ipſum eſſe Prælatum propium, ad quem preciſſe deſtinantur, tales licentiæ, ſiue litteræ. Et ſimiliter ordinamus, quod Confeſſores, & Procuratores SanctiMonialium, & etiam Beatarum, ſi ſint in oppidis, vbi Conuentum Fratrum habemus, in omnibus obedientijs ſint Patribus Prioribus, vel Conuentuum Præſidentibus ſubiecti, non ſecus ac ſunt Fratres alij, in talibus aſsignati Conuentibus. Ordinamus etiam; quod Vicarij, ſiue Confeſſores Monialium, ſiue Beatarum, vulgari lingua tranſcribant omnia, quæ ex his noſtris Ordinationibus, ad eas ſpectant quomodolibet; & Sorores eas teneantur legere, quando Monaſteriorum Ordinationes, coram toto Conuentu leguntur.

*De Magiſtris Nouitiorum.*

Item ordinamus, quod nullus fiat Nouitiorum Magiſter inconſulto R. A. P. N. Prouinciali, qui de Patrum conſilio, omnes approbet aſſumendos. Et in domibus, & Conuentibus, quibus ipſi viſum fuerint, obtineat locum immediatum, poſt Præſentatos huius noſtræ Prouinciæ. Et quicumque tale officium, octo continuis annis, iudicio R. A. P. N. Prouincialis, laudabiliter

ter exercuerint, maneant in poſterum diſpenſati, ab Hebdomada facienda, & à Matutinis, niſi in feſtiuis diebus. Quam noſtram Ordinationem, approuabit libenter, RR. PP. N. Magiſter Generalis.

Item, cum in noſtris Capitulis Generalibus Romæ 1564. & ibidem 1629. Ordinatione 22. prouide ſtatum ſit, ad vitandas longas vacantias, & abſentias Patrum Priorum a Conuentibus ſuis, quæ in magnum vergunt ſæpè Conuentuum præiuditium, quod R. A. P. Prouinciales, confirmationes Priorum, vel etiam caſſationes electionum non differant, & quod electus in Priorem alicuius Conuentus, intra ſpatium trium horarum à notitia confirmationis, teneatur acceptare, vel non acceptare Prioratum. Id circo, vt melius hoc, debita obediẽtia ſeruetur; Ordinamus, quod deinceps Confirmatio electionis factæ, ad ipſum non mittatur electum, ſed mittatur Patri Priori, Conuentus in quo commoratur. Quod ſi electus ſit Prior, mittatur Cõfirmatio ad Suppriorem: Ipſe autem ad quem talis mittitur Cõfirmatio, illam teneatur notificare electo, intra ſpatium duodecim dierum poſquam illam receperit, cui etiam iniungimus, vt acepta Co firmatione, certiorem ſtatim faciat electum, de Cõfirmationis præſentia, & teneatur electus (notificatione facta, confirmationis, intra tempus prædictum) intra ſpatium triũ horarum, Prioratum recuſare, vel aceptare; & certiorem reddere R. A. P. N. Prouincialem, de die, & hora acceptationis, vel recuſationis, quod fiat infalibiliter aliàs puniantur.

*Priores non abſint multo tẽpore à ſuis Conuẽtibus.*

Item ordinamus, & mandamus ſtrictè, omnibus Patribus Prioribus, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, quod librũ Procuratoris apud ſe non retineant, nec manu propria aliquid in illo ſcribant, ſed ſolus Procurator Conuentus, vel alius deputatus ad hoc, de mandato expreſſo Patris Prioris.

*Priores nõ habeãt apud ſe librum Procurationis.*

Item, quia accipere pecunias, ſub onere, & ſub penſione fœnoris, æque, vel magis Conuentus grauat, quam redditus cenſuum annuales; Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, & ſub præcepto formali, necnon ſub pœna excomunicationis maioris, latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda; hac vna pro trina Canonica monitione præmiſſa, quod pecunia nulla iſto modo, in Conuentibus, & Monaſterijs noſtris, pacto huiuſmodi recipiatur Et ſi aliter factum fuerit, omnes redditus, ex aceptis cauſatos, Priores, & Prioriſſæ, infalibiliter, ex

*De pecunia non recipiẽda pẽſione fœnoris.*

his

his quæ habent ad vſum ſoluant. Quod præceptum, & cenſuræ Religioſos particulares, Moniales, & etiam Beatas, quoad ſumptus particulares, æquepariter comprehendit.

*De Roſſario recitādo.* Item declaramus iuxta decretum RR. P. N. Magiſtri Generalis, vt ſingulis diebus poſt Completorium, Fratres, & Sorores recitent alta voce, & deuote alternando per choros, tertiam partem Roſarij Beatiſsimæ Virginis Mariæ ſecundum ordinem Myſteriorum, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, infalibiliter Prioribus, & Supprioribus infligenda. Et ſimiliter ordinamus, & mādamus Concionatoribus; vt in concionibus ſuis, maximè quando ſunt de tempore, aliquid opportune intermiſceant, ſaltem in Concionis fine, quo animi promoueantur fidelium, in affectum, & deuotionem, Roſarij Beatiſsimæ Virginis.

*De Oratione mentali.* Item ordinamus, vt ſolitum orationis, poſt Completorium, & Matutinas, & Nonam exercitium pro tempore, in ſingulis Conuentibus noſtris, debitæ executioni infalibiliter mādetur. Et Priores, & Prælati, qui in hoc inuenti fuerint negligentes à R. A. P. N. Prouinciali à ſuis officijs ſuſpendantur, qui de hoc ſedulo inquiret in viſitationibus ſuis.

*Supprio-res non applicent, ſibi plures Miſſas.* Item ordinamus, quod Suppriores in ſede vacante, vel in quacumque abſentia Priorum, non applicent ſibi plures Miſſas, quam quæ eis ſunt conceſſæ communiter.

*De expoſitione Cōfeſſarior.* Item ordinamus, quod Fratres ad audiendas Confeſsiones, & Cōcionandum exponi non poſsint, niſi per quinque examinatores, & in ſtudijs Generalibus, inter quæ Conuentum Legionenſem, & Compoſtellanum volumus comprehendi. Et non approbentur, niſi adſit ſaltem vnus ex Theologiæ Lectoribus, cum aliquo Graduato huius Prouinciæ, vel ambo ſimul, & ſolum per trienium; quo expleto examinentur iterum, etiam ſi ſint Priores, ſeu Vicarij, vel Confeſſores Sancti Monialium. Excipimus Lectores Artium, qui examinantur poſt eorum inſtitutionem; & eos, qui per nouem annos, licentias, ſeu expoſitiones, iuxta dicta habuerint, quibus cōcedimus, quod poſt nouem annos decurſos, quibus approbatione gauiſi ſunt, poſsint ſimpliciter exponi. Quod ſi quiſpiam in aliquo Conuentu examinatus, reprobatus fuerit, nec examinetur iterum, nec examinatus approbari queat; niſi menſibus ſex, à die reprobationis tranſactis. Quod ſi contrarium factum fuerit, inane totum, & etiam irritum declaramus. Et vt tutius conſulatur conſciētiæ,

& miniſterio ſupradicto, examinatores certiorem reddant Priorem Conuentus, de reprobatione ſui ſubditi; & eorum conſcientias in diem Domini aggrauantes iniungimus, vt examen huiuſmodi, cum ſumma rectitudine peragant: & quod ad illud ad miſſum ſemel, vel approbare, vel illum reprobare teneantur. Vt habetur in Conſtitutionibus noſtris, *Diſt.2. cap.12. de Prædicatoribus, littera A. in Gloſſ.* Et vt firmius hoc obſeruetur, & ne præſens confitendi exercitium, pro futura capacitate (quod abſit) alicui concedant; inhibemus ſtrictè, prædictis examinatoribus, ne aliquem ſub ſpe, vel ratihabitione, etiam iuramento firmata, quod per vnam, vel plures horas qualibet die vacabit moralitatis ſtudio, ad audiendas cõfeſsiones approbẽt; ſed præſens exercitium, pro præſenti, & ſufficienti habilitate concedatur. Et declaramus etiam Fratres omnes, ad audiendas ſæcularium Confeſsiones expoſitos, non poſſe Fratrum, vel Sororum Confeſsiones audire, niſi de ſpeciali Prælatorum licentia, vel Fratrum, vel Sororum, quorum, vel quarum, audire debent Confeſsiones. Vt habetur, in Conſtitutionibus noſtris, *diſt.1. de Nouitijs, cap.4. littera G.* Mandamuſque, quod nullus exponi poſsit ad audiendas Confeſsiones, qui non habuerit litteras teſtimoniales curſuum, & approbationes in quolibet examine annuali.

Item ordinamus huius noſtræ Prouinciæ Lectoribus, & Prædicatoribus, vt in maioribus Sanctæ Eccleſiæ ſolemnitatibus, in nouem tantum præcipuis feſtis Beatiſsimæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum, Euangeliſtarum, quatuorque Eccleſiæ Doctorum, & Sanctorum noſtri Ordinis Canonizatorum, inter quæ etiam compræhendi volumus feſtum Sanctæ Agnetis de Monte Policiano, Sancti Ambroſij Senenſis, Sancti Iacobi de Venetia, & non alia Sanctorum Ordinis noſtris; vtriuſque Veſperis, Miſſæ que Maiori, & Matutinis, infalibiliter inter ſint. Et quod ab ſtudijs non vacent, quando ſolemnitates prædictæ in diebus proprijs non celebrantur; exceptis feſtis Anuntiationis Dominicæ, & Sancti Thomæ Aquinatis. Et Prælati ſummopere invigilent in obſeruantia huius Ordinationis, ſicut etiam in aſsiſtentia Fratrum ad Completorium, *Salue Regina*, & ad tertiam partem Roſarij, nullum abuſum permittentes, nec diſpenſationem concedentes, abſque cauſa legitima. Nec Lectores Artium, qui curſum ſuæ lectionis perlegerunt diſpenſare

*Quando Lect. teneantur Choro intereſſe.*

 poſsint

poſsint Patres Priores ab aſsiſtentia Chori poſt primum ſuæ vacaturæ completum annum, niſi de ſpeciali licentia R. A. P. N. Prouincialis. Omnemque incontrarium cõſuetudinem omnino abrogamus.

*De examine ſtudẽtium.* Bis in anno examinentur ſtudentes, in principio, ſcilicet, Curſus, & prope feſtum Sancti Thomæ Aquinatis. Qui autem approbati non fuerint, nullomodo diſpenſentur ab aſsiſtentia Chori, ſed ad Matutinas, & omnes Horas, aſsiſtant indiſpenſabiliter: Neque illis Ordines conferantur inconſulto R. A. P. N. Prouinciali, & ſine eius expreſſa licentia.

*De Regẽte ſtudiorum.* Item ordinamus, & declaramus, quod in Conuentibus, in quibus ſunt ſimul plures Magiſtri, eorum antiquior, comparatiue ad gradum, ſit Regens; eo tamen abſente à Gymnaſio, Magiſter qui illi ſuccedit, & ſic alij ſucceſsiue iuxta ſuorum antiquitatem Graduum. Vbi tamen vnus tantum adeſt Magiſter, ipſo facto ſit Regens; & ad ipſum pertineat, Magiſterij gradũ, vel Præſentaturæ conferre; etiam præſente Priore Conuẽtus. Et iniungimus Regentes prædictos, gaudere omnibus priuilegijs, quæ in declarationibus Conſtitutionum noſtrarum, præcipue *diſt.2.cap.*14.§.4.*litt.G.* latius continentur; quæ hic pro expræſis haberi volumus. Et ordinamus, quod nullum fiat examen Confeſſorum, vel Studentium, Regente inſcio, vt ſi ipſe aſsiſtere voluerit, aſsiſtat.

*De trãſportatione bonorum P. Prior.* Item ordinamus, & præcipimus, quod moderati ſumptus fiant in tranſportatione bonorum, quæ in Conuentus Prioratus ſui à Patribus Prioribus aſportantur. Et quod Suppriores, & Depoſitarij teneantur admonere, R. A. P. N. Prouincialem, de omnibus ſumptibus in tali aſportatione cauſatis: Et ſi aliter fiat tenebuntur ipſi, etiam in foro conſcientiæ, huiuſmodi expenſas Conuentui ſoluere.

*De lectoribus ea ſuũ conſcientiæ.* Item ordinamus, & mandamus Patribus Prioribus, ſub pœna ſuſpenſionis per quatuor menſes, & caſuum conſcientiæ Lectoribus, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, quod habeantur Concluſiones bis ſaltem in ſeptimana. Et in Conuentibus, qui ex elemoſinis non viuunt, omnibus diebus, quibus habetur Concluſio in domibus vbi ſunt ſtudia, & duret Cõcluſio ad minus per dimidium horæ. Cõcedimus Lectoribus huiuſmodi, vt Patres à Conſilijs ſint, Lectores corrigant in menſa; & quod diebus diſpenſentur à Choro, quibus habentur Concluſiones. In re-

reliquis autem obedientijs ſicut alij Fratres ſe gerant, Hebdomandam faciant, & in tabula notentur ad illã. Poterit tamen R. A. P. N. Prouincialis aliquas eis concedere diſpenſationes, in Conuentibus in quibus, ei viſum, iuxta de cauſa fuerit.

Item mandamus omnibus Conuentuum Prioribus, in quibus non eſt commoditas educandi Nouitios, vt decet profeſsionem noſtram; quod licet ad habitum noſtrum aliquas admittant perſonas, obſeruando tamen in earum receptione, in noſtris Conſtitutionibus ſtabilita; illas nullomodo retineant in ſuis Conuentibus, ſed ad alios educationis cauſa, à R. A. P. N. Prouinciali deſignandos, tranſmittant. Qui ſint autem exigui Conuentus in quibus non opportet educari Nouitios; declarabit opportune, R. A. P. N. P. *De nouitijs non recipiendis in dominib⁹ exiguis.*

Item mandamus, ne quis typis mandare poſsit librum Protocola, aut aliquid aliud (etiam in cartha minima) ſiue morales, doctrinales, ſiue hiſtoriales contineat res, ſeu cuiuſvis alterius lineæ, ſine expreſſa licentia R. A. P. N. Prouincialis data in ſcriptis. *De nõ imprimendo ſine licentia*

Item mandamus Prioribus, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, infalibiliter infligenda; vt ſtatim poſt notificationem harum noſtrarum Ordinationum, Religioſos bonis moribus, doctrina, & exemplo præditos, ad omnia oppida ſui territorij mittant; qui Religionis zelo, & deuotione etiam ſuccenſi, erga Sanctiſsimam Deiparam, Confraternitates Sanctiſsmi Roſarij curent (ſi opus eſt) vt continuo erigantur, erectæ confirmentur, fideles ad eam deuotionem excitent, promoueant, & in ea corroborent, ſcribendo, recipiendo, ſcriptos que approbando Confratres, Bullam à Sanctiſsimo Domino N. Innocentio XI. Indulgentias nouiter concedente, & omnes antiquas ſuorum prædeceſſorum confirmante, ſecum aſportando, vt iuxta eius tenorem, eas prædicent populis, vt tantum animarum lucrum, (vt pareſt) magni æſtiment. *Circa deuotionẽ S. Roſarij.*

Item Ordinamus, quatenus noſtris Conſtitutionibus valde conforme, imò exactum ab ipſis; & ab Illuſtriſsimis, & Reuerendiſsimis D. D. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, pluries deſideratum; vt omnes Regulares, ſuæ Religionis licentias Cõfeſsiones audiendi, & etiam Prædicandi in ſcriptis habitas manifeſtent. Quod ab omnibus volumus, & præcipimus obſeruari. Et inſuper mandamus omnibus Prioribus, quod intra termi- *De manifeſtandis licẽtijs, pro audiendis confeſsionibus.*



num

num trium dierunt à notitia præſentium, omnium ſibi Subdito rum tales licetias, tum ab Ordine, tum ab Ordinarijs locorum, in quibus degunt manifeſtent. Quod ſi aliquis tales licentias non habuerit pro non confeſſario habeatur, donec per examen eas obtineat; vel aliter Ordinetur de eo à R. A. P. N. Prouinciali.

*De ſubſidijs, & cõtributionib⁹ ſoluẽdis*

Item mandamus omnibus Patribus Prioribus, ſub pœna ſuſpenſionis per ſex menſes, ab eorum officio, quod infalibiliter ſoluant, intra ſpatium duorum menſium, à præſentium notitia, contributionum, & ſubſidij debita, iam tempore elapſo contracta. Et obſecramus R. A. P. N. Prouincialem, vt hanc pœnam, & aliàs (arbitrio ſuo) tranſgreſſoribus infligat huius mãdati.

Item præcipimus omnibus Supprioribus, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, vt has noſtras Ordinationes quatuor in anno legere faciant in publico Capitulo, vel Refectorio, coram tota Communitate.

## *INSTITVTIONES LECTORVM CASVVM Conſcientiæ.*

Inſtituimus in Lectorem de Ciudad Rodrigo, Fr. Ioannem Dominguez, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Benavente, Fr. Ioannem Cid, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Medina del Campo, Fr. Gabrielem Gonçalez, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Viuero, Fr. Antonium Fernandez, ex eodemConuentu.

In Lectorem de Huete, Fr. Ioannem Quiros, ex Conuentu de Madridejos.

In Lectorem de Tordeſillas, Fr. Bernardum Gomez, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de la Peña de Francia, Fr. Petrum Carraçedo, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Aſtorga, Fr. Andreæam de Alva, ex Conuentu de Ciudad-Rodrigo.

In Lectorem de la Vera, Fr Ioannem Herrero, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Talabera, Fr. Patricium de Origuela, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Caceres, Fr. Franciſcum Borrallo, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de San Sebaſtian, Fr. Dominicum Cortazar, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Guadalaxara, Fr. Thomam Garcia, Præſentatum, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Occaña, Fr. Petrum Tercero, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Villa-Eſcuſa, Fr. Andræam Arias, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Aranda, Fr. Dominicum Merino, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Rioſeco, Fr. Ioannem de Auila, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Alcalà, Fr. Petrum de Zelada, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Yepes, Fr. Ildephoſum de Soria, ex eodem Conuentu.

In Lectorem de Zifuentes, Fr. Ioannem Duram, ex eodem Conuentu.

## *INSTITVTIONES VICARIORVM.*

In Vicarium Regni Galeciæ, cum omnibus gratijs, & priuilegijs à noſtris Conſtitutionibus conceſsis; inſtituimus R. P. Fr. Ioſephum de Villaſeñor, Præſentatum.

In Vicarium S. Raymundi de Potes, titulo Prioris, Fr. Ioſephum Perez de la Sierra, ex eodem Conuentu.

In Vicarium S. Ildephonſi del Camino, titulo Prioris, Fr. Ferdinandum Menocal, ex eodem Conuentu.

In Vicarium de las Caldas, titulo Prioris, Fr. Ildephonſum del Pozo, Præſentatum, ex eodem Conuentu.

In Vicarium Incarnationis de Vilbao, Fr. Ioſephum Zeuallos, ex eodem Conuentu.

In Vicarium Sancti Petri de las Dueñas, titulo Prioris, Fr. Bernardum Entero, ex eodem Conuentu.

In Vicarium de Aldeanueua, Fr. Mathæum Alonſo, ex eodem Conuentu.

In Vicarium de Belvis, Fr. Martinum de Leon, ex Conuentu Sancti Dominici Matritenſi, Regali.

In Vicarium de Bejar, Fr. Bartholomeum Martin Flores, Præſentatum, ex eodem Conuentu.

